

TRACTATUS MEDICUS

INAUGURALIS,

DE

DYSENTERIA;

QUEM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,

Et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS LYSAGHT SAYERS,

SOC. REG. MED. EDIN. SOC. EXTRAORD.

NEC NON

SOCIET. REG. PHYS. EDIN. SOC. HONOR.

— then wasteful forth
Walks the dire Power of pestilent disease.
A thousand hideous fiends her course attend,
Sick Nature blasting, and to heartless woe
And feeble desolation casting down
The tow'ring hopes and all the pride of man.


THOMSON'S SEASONS.

Ad diem 24 Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDERANT C. STEWART ET SOCIJ, ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.

1800.



Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

EDVARDO SAYERS BRIDGES,

ARMIGERO,

PATRI SUO CARISSIMO,

ET

AMICO FIDELI,

GULIELMUS LYSAGHT SAYERS,

S. P. D.

NEMO est, pater optime, cui plus te debeam. Tu vitam donasti, et quicquid in me est ingenii liberali manu excoluisti. Hæc dum reputo, et cætera beneficia in me indes collata, quorum alta mente reponitur sensus, cui præ te dicatas vellem hæc, qualescunque fuerint, operæ meæ primitias? Ad te ergo confugiunt, tuumque patrocinium propria sibi affinitate vendicant.

Accipe, eximie vir, indicium hoc parvulum animi erga te promptissimi; et ne despice hæc meas studiorum medicorum primitias, tibi si non ingenio, at saltem amore et observantia, oblatas. Quod diu vivas felix faustusque tuis ex animo opto, precor filius omni officio devinctus.

EDINBURGI, dabam 24 Junii, }
anno salutis humanæ, 1800. }

TRACTATUS MEDICUS

INAUGURALIS,

DE

DYSENTERIA.

AUCTORE GULIELMO LYSAGHT SAYERS.

PRO ÆMIUM.

*NON sane scribendi pruritu, sed legibus hujus
Academiæ impulso, de dysenteria, breviter quam
potero, mihi in animo est differere, et pensum mihi
injunctum absolvere pro virili conabor.*

Me

*Me quidem dolet paginas hasce, tam festinan-
ter conscriptas, neque ea qua decuissent cura
correctas et expolitas, confestim publici juris fa-
cere: Sed nonnullas in hoc medicinæ empirio
Doct̄oratus ceremonia evocat. Vos igitur, lec-
tores, oro, ut mihi, cui, circa ægros occupato,
perparcæ fuerunt stylum vertendi opportunitates,
vestram concedatis indulgentiam.*

*Antequam ad propositum transeo, gaudens
hanc publicam occasionem arripio inclyto tutori
meo, per annos quatuor, in collegio Dubliniense,
Edvardo Stopford, D. D. A. M. T. C. D. et
S. J. viro morum suavitate non minus quam
eruditioni spectabili, (cujusque laudes quisnam
ignorat?) grates ab imo corde lubentissime sol-
vendi.*

*vendi. Sensum ejus benevolentiae mihi e memoria
nunquam esse elapsurum,*

“ In freta dum fluvii current, dum montibus umbræ

“ Lustrabunt convexa, polus dum sidera pascet ;”

*Et honorem, nomenque ejus laudesque semper
mansura esse, quæ me cunque vocant terræ,
spondeo. Siquid jam nunc scio, aut si unquam
mundo non inutilis evasero, id totum ei tribuen-
dum.*

RARO

RARO enim simplices morbi, quales a pathologis, nosologisque delineantur, clinice exercentibus se exhibent, sed plerumque compositi, complicatique vario modo fiunt; quo fit, ut clinicis acri iudicio, et magna sæpe mentis contentione ad diagnosis, curationemque recte instituendam opus sit. In universum causarum ratio habenda est, omnique ope evitandum, ut morbi origo tollatur.

Burserius, T. 3. p. 114.

DE

DYSENTERIA.

DYSENTERIA frequens morbus est, præfertim in regionibus calidis; plerumque gravis, et sæpe admodum periculosus. Exeunte æstate, aut ineunte autumno, plerumque longè latèque per populos grassatur, et præcipue in locis paludosis, ubi sæpe cum febribus intermittentibus vel remittentibus conjungitur, uti Cullen, Pringle, Zimmerman, aliique haud parvi nominis auctores, testantur. Convenit quoque inter omnes, ob naturam ejus pestiferam, per classes, exercitus, valetudinaria, et urbes obsessas, potissimum sævire, vel ubicunque magna multitudo hominum in

A

unum

unum congregata vitæ ac victus communitate utitur. In hujusmodi locis plerùmque lethalis est, frustrà sæpe obstante medicinâ.

MORBI DEFINITIO.

Morbum quem hujus opusculi argumentum selegi, Cullenus, in nosologiâ summus auctor, sequenti caractere, quo a cunctis aliis affectionibus distingui potest, tamè clàre quàm breviter definivit: “ Pyrexia contagiosa; dejectiones frequentes, mucosæ, vel sanguinolentæ, retentis plerùmque fœcibus alvinis; tormina; tenesmus.”

MORBI HISTORIA.

Dysenteria variis modis adoritur; interdum ægrotus rigoribus cum lassitudine, magnâ cum debilitate, capitis dolore, cibi fastidio, amaro oris sapore, corripitur; hisque calor auctus, frequens arteriarum pulsus, dorsi ac lumborum dolor, nausea, et interdum vomitus materiæ sæpe biliosæ superveniunt; paulo post, plus minusve

minuſve cito, ſitis urget, et inteſtina male ſe habent.

In aliquibus autem exemplis nulla fere pyrexia prægreditur, ſed initio liquidis alvi dejectionibus accedunt inteſtinorum torſiones et crebri ventris dolores, frequens dejiciendi cupiditas, alvus excrementa, admodum fetida, et ſæpe exigua quantitate, ex mucò adipi ſimili, aut ſanguine intermixto, excernit, retentis plerumque ſtercoribus naturalibus.

Pyrexia comitans eſt admodum varia, nonnunquam generis inflammatorii, nonnunquam formam intermittentis vel remittentis, ſæpius autem typhi ſpeciem cum putredinis ſignis comitantibus aſſumit; interdum autem febris nulla ferè adeſt, vel, morbo progrediente, aliquando evaneſcit, ſignis dyſenteriaë propriis perſtantibus. Interdum poſt dolorem acutum, vel operationem medicamenti cathartici, fæces alvinæ excernuntur; ferè ſemper admodum parvæ ſunt, et globulis duris ſimiles, (qui medicorum lingua *ſcybala* vocantur), cum aliquo

fed brevi torminum levamine. Sæpè autem nihil aliud præter mucum spumofum, plus minusve fœtidum, et fanguine tinctum, dejicitur*; imo interdum merus quidem fanguis; et † pus purum evacuatur, et excrementa nonnunquàm filamentis, carunculis, quæ tunicæ intestinorum villosæ fimiles funt, scatent.

Nonnunquàm etiam vermes ‡, plerùmque lumbrici, fed aliquandò ascarides, dejiciuntur. In hoc morbi gradu anus sæpe prolabitur; dysuria, vel ischuria, licèt rariùs, fed sæpius lienteria, supervenit; nonnunquam lumbrici ex ore evomuntur, ut Pringellius memorat. Lingua, urgente morbo, mucò albo squalet, et ægèr nausea afficitur. Quamvis dejectiones ferè femper parcæ funt, res tamen nonnunquàm longe aliter se habet; testatur § enim Zimmerman, quadraginta laticis aquosi libras uno
vertente

* Mosely on Tropical Diseases, p. 169.

† Dr D. Monro on Diseases of Military Hospitals, vol. 1. p. 63.

‡ Mosely on Tropical Diseases.

§ Vid: Zimmerman de Dysenteria.

vertente die dejectas fuisse. Ægri sæpissimè indies, plerùmque quindecies aut vicies, et interdum multo sæpius, defident. In hoc morbo pulsus arteriarum varii sunt; sed plerumque debiles, et tardi, sub finem morbi evadunt. Horum symptomatum plura vel pauciora mortem anteire solent; cuncta enim rarissimè in eodem ægro observantur.

Tempus, per quod duret morbus, est admodùm incertum, et multùm pendet ex altantium curâ, medicamentorum usu, et aliis rebus, nec non curâ quam suimet ægrotus habet. Æger, modò die quarto vel quinto, modò decimo sexto, tollitur; nec rarò in tempus multò longius superest. In quibusdam casibus valdè mitis est morbus, et remediis lenioribus cedit.

Si morbus facie gravissimâ et fatali fuerit, omnia hæc symptomata adaugentur; dolor fere perpetuus est, et vix tolerabilis; in faucibus plerùmque aphthæ apparent; arteriæ imbecilliter aut exiliter micant; os et lingua crustis nigricantibus obducuntur, et maculæ in facie,
aut

aut pustula nigra pone aures erumpunt; urina et stercora foetidissima ægro inscio elabuntur; aut tenesmus tantus est, ut perpetuo hiet anus, unde enemata statim redduntur, aut ita constringatur, ut nihil possit immitti; singultus, et, ut Riverius addit, manuum œdemata superveniunt. Debilitas summa est, et syncope sæpe accidit; frequenter extrema frigescent, et sudores frigidi prorumpunt; facies pallefcit et ferè cadaverosa fit; pulsus artiarum lenis, parvus, et tremulus fit, tandem doloribus ex toto conquiescentibus delirium leve accedit; et convulsiones et mors superveniunt.

CADAVERUM INCISIONES.

Cadaveribus dysentericorum ferro patefactis, morbida sequentia apparent; intestina magna, rectum præsertim, et pars inferior coli, semper plus minusve inflammatione affecta inveniuntur; tunicæ eorum interdum ulceribus et gangrenæ signis corrumpuntur; ventriculus ipse
eodem

eodem ferè modo interdum allicitur; porrò omentum, modò tabidum, modò gangrenâ affectum conspicitur; peritonæum crassum præter naturam intestinis adheret; glandule mesentericæ sæpe valde tumescunt. Necnon splen, pancreas, urinæ vesica, et renes, morbida aliquando inveniuntur; thoracis viscera morbi vestigia haud tam manifesta produnt; inflammatio nonnunquam in pulmones diffunditur, et cor ipsum aliquando supra quam debet magnum reperitur.

DIAGNOSIS.

Dysenteria cum tribus morbis confundi potest, scilicet colicâ, cholera, et præcipue cum diarrhœâ.

Colicam, vomitus sæpe stercoraceus, dolor circa umbilicum præcipue torquens, et pressione ferè semper levatus, alvus pertinaciter adstricta, nulla plerùmque comitante pyrexia, a dysenteriâ satis distinguunt.

Choleram, febris absentia, vomitus, surarum
spasmata,

spasmata, et dejectiones biliosæ, a dysfenteriâ fecernunt. Infuper cholera minime contagiosa est.

In diarrhœâ fœces liquidæ copiosæ dejiciuntur, et nunquam scybalorum formâ, et raro sanguine commistæ. Diarrhœa pyrexiâ primariâ caret, et nunquam pestifera est, et tenesmus, et tormina, minùs gravia sunt quàm in dysfenteriâ. Fætor in dysfenteria singularis adest; quæ quidem omnia dysfenteriam inter et diarrhœam terminos faciunt.

CAUSÆ REMOTÆ.

Causæ remotæ ad duo capita referendæ sunt; jure enim in prædisponentes et occasionales dividuntur.

CAUSÆ PREDISPONENTES.

Inter omnes convenit, cuncta, quæ corpus infirmant, homines huic morbo obnoxios reddere, præcipue eos quorum vires morbi prægressi consumpserint; nam in classibus, castris,
et

et urbibus obsessis, illos, quorum corpora morbis prægressis debilitata fuerant, præ aliis dysenteria corripere videtur.

Ex causis quoque sunt animi affectiones, ut metus, anxietas, &c. labor, vigilia, excubiæ, ebrietas, Venus nimia, calor magnus, præsertim si humiditate conjungitur, diæta parca, aqua impura, defectus aëris liberioris, cibi animalis usus nimius, vapores putridi cadaverum, quæ insepulta putrescunt, vel vegetabilium putrescentium, et incuria munditiei; quæ quidem omnia morbi hujus actioni insigniter favent. Hinc morbus sæpe in classibus, castris, et urbibus obsessis grassari solet.

CAUSÆ OCCASIONALES.

Causæ occasionales diversæ sunt. Haud multum dubitare licet utrum morbus contagiosus sit necne, præsertim cum cloacæ communes contagionem maxime diffundunt, et admissio vel unius dysenterici in nosocomium multos illic decumbentes morbo corripere facit.

B

Quânam

Quânam viâ, utrum cutis, pulmonum, an ventriculi, corpus ingrediatur, nondum convenit.

Observationes Monro, Pringle, Cleghorn, et aliorum haud parvi nominis auctorum, probant dyfenteriam iisdem ferè ab causis, quibus febres intermittentes aut remittentes, oriri. Hæc verba habet Pringle: “ In the end of
 “ summer, or in autumn, when any number
 “ of men are exposed to night-damps, or fogs,
 “ or lie upon wet or marshy ground, especially
 “ after a hot day, part of them will be seized
 “ with a fever of the remitting or intermit-
 “ ting kind, and a part of them with dyfen-
 “ tery.”

Nonnulli existimant fructuum usum nimium morbi hujus causam esse, quia fortassè maturi sunt eodem ferè tempore quo morbus hicce invadit; sed dyfenteria in locis supervenit, ubi fructus obtineri non possunt; et Tissot aliique fructus maturos tam longè a nocendo abesse pronunciant, ut inter præstantissima remedia
 jure

jure habeantur, et nihil aliud ad curandam dysenteriam magis adjuvat.

CAUSA PROXIMA.

De causâ morbi hujus proximâ scriptores multum inter se variant : quidam, neque profecto parvi nominis, auctores materiam acrem pro causâ proximâ habendam esse contendunt ; minus rectè tamen, si mihi judicare fas sit ; plura enim symptomata per causam morbi proximam a summo Culleno redditam, quàm per ullam aliam explicari possunt. En Culleni verba celeberrimi * : “ The proximate
 “ cause of dysentery, or at least the chief part
 “ of the proximate cause, consists in a preter-
 “ natural constriction of the colon, occasion-
 “ ing, at the same time, those spasmodic efforts
 “ which are felt in severe gripings ; and which
 “ efforts, propagated downwards to the rectum,
 “ occasion there the frequent mucous stools

B 2

“ and

* Cullen. First Lines of the Practice of Physic, vol. 3, p. 112.

“and tenesmus.” De causâ quoque morbi hujus proximâ differens celeberrimus professor noster Gregorius hæc verba facit : “ Creditur
 “ oriri a constricta aliqua parte intestinorum,
 “ præsertim colo, quo fit ut hæc, quamvis
 “ multum irritata, nihil fere demittere pos-
 “ sint *.

RATIO SYMPTOMATUM QUORUN- DAM.

Tormina in hoc morbo ab irritatione, quâ intestina jam præter naturam adstricta, et irritabilia, fœces afficiunt, oriuntur, vitiato muco qui partes internas illinere debet. Tenesmus ab irritatione, et inflammatione intestini recte oriri videtur. Scybala retentione et induratione fœcum naturalium in coli cellulis, et tandem partium tenuiorum absorptione formantur. Prolapsus ani, quo dysenterici plurimum vexantur, iteratis ac violentis desidendi conatibus

* Vid. Gregor. Conspectus Medicinæ Theoreticæ, vol. 1.
 p. 349.

minibus efficitur. Sanguis, qui sæpè magnâ copiâ profluit, a vasis sanguiferis intestinorum ruptis aut erosis, provenire videtur. Dejectiones mucosæ ex nimio alvi motu, quem spasmus et inflammatio excitant, et ex glandulis intestinorum irritatis, et magnam sui mucî quantitatem fecernentibus proveniunt.

Non levis inter auctores disceptatio exoritur de origine membranarum, quas dysenterici haud rarò excernunt; nonnulli ex ramentis tunicæ villosæ intestinorum constare contendunt; at longè verisimilius est, ni fallor, illas a mucò spissato formari, cujus pars, internæ tubi alimentaris superficiei adhærens, tunicæ villosæ formam præ se fert. Neque a nobis dissentit Cl. Darwin, nitidissimus Scriptor, et medicus plane non ignobilis, cujus verba hic juvat me exscribere*: “The mucus is also
“hardened, so as to line the intestines, and to
“come away in skins, rolled up as they pass
“along,

* Darwin. Zoonomia, vol. 2. cl. I. 1. 3. 5. p. 55. 59.

“ along, so as to resemble worms, for which
 “ they are frequently mistaken; and some-
 “ times it is evacuated in still larger pieces, so
 “ as to counterfeit the form of the intestines,
 “ and has been mistaken for a portion of
 “ them.”

Petechiæ, quæ sæpè in cute apparent, a magna debilitate et insigni humorum in putredinem proclivitate oriuntur.

PROGNOSIS.

Inter medicos constat dyfenteriam haud levem esse morbum, maximè verò malignum cum epidemicè sævit, eamque febris comitatur: tunc enim sæpe inflammatio et gangrenæ superveniunt.

Sed si brevi post remedia administrata signa leventur, si tormina et tenesmus mitescant, ac rariùs revertant, si ægri robusti et vegeti sint, nec corporis constitutionem morbi prægressi corruerint, si febris lenis fit; aut, quod adhuc melius est, prorsus abfuerit, et si fœces
 fere

fere naturales copiosæ dejiçiantur, dum morbus ipse recens est, et cibi appetitus parùm minuitur, exitum faustum sperare licet.

Contra, dejectiones valde frequentes, et admodum parvæ, sanguinæ, spumosa, fœtidissima, incio aegro elabentes, et tormina ac tenesmus perdurantia, pulsus debilis ac tremulus, facies pallida, in faucibus aphthae, convulsiones, animi deliquia, frigus extremorum, mortem inflare denunciant. Burserius ait; “*pleramque mortis est signum, cum tenesmus tantus est, ut perpetuo hiet anus, unde clysteres statim elabuntur, aut ita constringatur ut nihil possit immitti.*” Riverius etiam addit manuum œdemata esse lethalia.

METHODUS MEDENDI.

Cum febris, quae dysenteriam comitatur, sit admodùm diversa, modò synocha, modò typhus, modò intermittens, modò remittens, medendi consilia nonnihil diversa esse necesse est.

In omni exemplo intestinorum colluvies atque

que scybala ea quàm plurimùm irritant :
 “ Neque facile (ut ait Professor noster Grego-
 “ rius *) prius solvitur morbus, quam idoneis
 “ medicamentis alvus probe purgata fuerit.”
 Maximi igitur momenti est, ut medicus ma-
 teriam morbosam, et scybala ex intestinis,
 evacuare operam det, quod praecipue medi-
 camentis catharticis, et interdum emeticis
 optime perficitur. Hunc in finem laxantia
 mitiora optime conveniunt, et quoniam ite-
 rum iterumque ea assumere necesse est, quae
 aegri minime fastidiunt praeponenda sunt.
 Longum ac inutile foret omnia laxantia enu-
 merare, quae a variis medicis in hoc morbo ce-
 lebrantur. Oleum ricini aut sales neutri mor-
 bo incipienti bene accommodari videntur ; ex
 his sunt, fulphas sodae, fulphas magnesiae,
 tartris potassae, tartris sodae, &c. Dosibus an-
 timonii tartarizati parvis Cullenus uti nos mo-
 net,

* Vide Gregory Conspectus Medicinæ Theoreticæ, vol. 1.
 p. 349.

net, quia medicamentis omnibus præstare comperit. Interdum necesse est dyfentericos singulis diebus, vel quolibet biduo vel triduo, prout signa postulant, assumere hæc remedia, quæ liquoribus diluentibus et jusculis tenuibus adjuvanda sunt.

Lotiones emollientes valdè profunt, partes inflammatas fovendo, et si cum opio conjungantur, effectum meliorem producunt; horum autem usui alvi purgatio semper præmittenda. Alia adsunt medicamenta purgantia, quæ silentio præterire nefas esset. Degnerus Cleber rheum et lixivam e tartaro medicamentum divinum potiùs quàm humanum nominat. Huxham et Pringle rheum magnis laudibus prosequuntur. Monro, cujus laus magna est, magnesiã vitriolatam, una cum mannâ et oleo, omnibus aliis præstare opinatur. Cleghorn et Home vitrum antimonii ceratum plurimum commendant. Rheum cum fennâ Sydenhamius laudat.

Emetica dyfenteriâ ineunte a medicis plerisque

que multùm laudantur, et certe ad febrem atque inflammationem discutiendam, et ad ventriculum evacuandum utilia sunt; sed ad hunc morbum sanandum iis cathartica præstant. Ex medicamentis autem emeticis præstantissima sunt pulvis ipecacuanhæ, infusum florum chamæmeli, infusum cardui benediçti, antimonium tartarizatum, &c. Hæc autem non sine discrimine præscribenda sunt. Antimonium enim tartarizatum non bene ægrotis debilibus accommodatur; sed regionibus frigidis optimè convenit, et faustissimos effectus, præcipue in ægrotis robustis producere solet. Sed ex medicamentis emeticis æque ac catharticis mitiora acrioribus anteferenda sunt. Opium, postquàm alvus probe evacuata fuerit, ad dolores, si qui sint, consopios medicamentum valentissimum est; nunquam vero obliviscendum est post cathartica solummodo fas esse opium dare; ne stercorea retenta et in scybala formata conamina nostra irrita reddant. Balneum tepidum, vel abdominis fomentationes, vesicatoria,

vesicatoria, enemata ex aquâ tepidâ, vel aliis blandis, vel gummi arabico, aut amylo, sæpe repetita levamen haud parvum afferunt.

Sanguinis detractio in dysenteriâ anceps remedium est; ubi inflammatio vehemens est, et ægrotus robustus, detractio sanguinis prodest, ac requiritur, sed cum febris, uti sæpissime, putrida est, sanguinem mittere non licet.

Ad acrimoniam fluidorum in visceribus abdominalibus corrigendam varia demulcentia administrantur: qualia sunt emulsio arabica, aqua hordeacea, lini infusum, ac sago, quæ in ventriculo et intestinis non modò acrimoniam obtundunt, verum etiam nutrimentum gratum præbent.

Ad dysenteriam protractam sanandam, ubi dejectio frequens a debilitate, non a stimulo intestina irritante proveniat, opio et medicamentis quæ alvum leniter laxant fidem habere debemus. Interdum necesse est huic morbo obviam ire astringentibus; exempli gratiâ, extr. catechu, gummi kino, fimarouba, cortice

quercino, &c. Dum his medicamentis ægri utuntur, permittendum est iis ut vino generoso Lusitanico, Madeirense, aut Rhenano, aqua diluto, modice indulgeant.

Si forsan putredo aut debilitas urgeant, cinchona et vinum post alvi dejectiones liberâ manu præscribenda sunt. Per totum dysenterix decursum, lintea ac stragula quotidie mutanda sunt, et mundities quàm maximè observanda.

Convalescentium diæta ex iis constare debet, quæ levia et concoctu facilia sunt, qualia sunt juscula ex hordeo et carne tenuia, quæ, dum satis nutriunt, minimè stimulant. Potus ex vino generoso, stimulantium principe, et ægris optimo solatio, aquâ et saccharo, prout ægroto arrideat, constare debet.

Dii bene fecerunt inopis me quodque pusilli

Finxerunt animi, rarò et perpauca loquentis.

HOR.

